



The Holy See

**IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE QUANDOQUIDEM USU SANCTUS AMBROSIVS
EPISCOPVS ET ECCLESIAE DOCTOR CONFIRMATVR**

CAELESTIS PATRONVS SINGVLARIS APVD TERRENVM GALLORVM EXERCITVM

MANIPVLI NEGOTIIS ADMINISTRACIONIS IPSIVS PROCVRANDIS Ad perpetuam rei memoriam. – Quandoquidem usu iam diu intra Gallicum exercitum venerat ut singulae fere manus gravioribus sane cum muneribus singulos ab Ecclesiae Matre sortirentur caelites patronos quorum exemplis nimirum instituerentur precibusque coram Deo fuis valide sustinerentur, idcirco recens conflato eiusdem exercitus ordine peculiari rebus administrandis placuit spiritalibus ibidem moderatoribus ut huic pariter magni ponderis cohorti suus sine mora destinaretur rite Patronus. Peropportuno itaque consilio Venerabilis Frater Gabriel Vanel, Episcopus titulo Rotensis necnon Vicarius Castrensis in Gallia, vota colligens simul sua simul sodalium ipsorum novi illius partitionis legitime approbavit Sanctum Ambrosium episcopum Mediolanensem ac Doctorem Ecclesiae veluti specialem eorum Patronum, quippe qui perdiligenti episcopalis officii curatione suo tempore eminisset eximiaque gerendarum ubique causarum facultate praestitisset. Proinde vero secundum liturgicas normas ab hac petivit Apostolica Sede ut idem edictum ac decretum lege sanciretur. Nos vicissim certo iam quasi providentes quot sint ex hac nominatione fluxura emolumenta spiritalia in omnes quorum intersit, de sententia Sacrae Congregationis pro Sacramentis et Cultu Divino harum Litterarum vi perpetuumque in modum Sanctum Ambrosium episcopum et Ecclesiae doctorem confirmamus ac renuntiamus caelestem Patronum singularis apud terrenum Gallorum exercitum manipuli negotiis administrationis ipsius procurandis, adiectis una universis honoribus congruisque liturgicis privilegiis. Contrariis quibusvis haud obstantibus. Quae dum statuimus, volumus hasce ipsas Litteras religiose servari suosque effectus tam nunc quam in posterum habere tempus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XVIII mensis Februarii anno Domini MCMLXXXI Pontificatus Nostris*

tertio. AUGUSTINUS Card. CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1981 - Libreria Editrice Vaticana